



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Joannes Calybita. 15. Ian.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

40 VITÆ SANCTORUM. 15. Ian.  
cui calum fit cellarium, celestis promus  
exhibet ministerium; quam feliciter miser  
est, qui dum terrenis eget impendiis ange-  
licis fulcitur obsequiis: cui x enim disci-  
pulis mittitur, angelitus ministratur?  
S. Pet. Dam. serm. 33.

S. JOANNES CALYBITA. 15. Ian.

**I**LLE JOANNES est, qui in illustri Pa-  
tricioꝝ familiã Romæ natus, pa-  
rentes piè nos docuit fallere. Nam ado-  
lescens admodum clam his in Syriam  
abiit, & vestem indurus religiosam, u-  
nico, sed delicato cibo vegetavit, An-  
gelorum pane. Post cum parentes sa-  
penumerò ingereret hostis, ægrè illi  
sibi que facturus Romam iter instituit.  
Ex itinere vestem suam cum mendican-  
tis centonibus commutat, & his spo-  
liis superbus ad parentes ignotus diver-  
tit, tanta que filius familiæ, tanti pa-  
trimonii hæres vix malè sartam tectam-  
que in vestibulo ædium suarum casulam  
impetrat. In hac ille tres annos ad invi-  
diam sui hostis furtivo parentum as-  
pectu fruitur. Hinc ex tuguriolo suo ad  
Superum palatia invitans, matrem ad-  
vocat; mendicus ægrè impetrat; præ-  
sentem jurejurando adigit, velit jubeat  
in pannuceis suis se tumulari. mox san-  
ctum Evangelii librum, quem puer ab eâ  
dono acceperat, in manus tradit, atque  
ita

15. Ian. VITÆ SANCTORUM. 41  
ita oculos tandem matri aperit, ipse suos  
claudit. Enimverò malè officiosa velle  
hic auream filio purpuram inducere; sed  
ilicet manus sensit tandiu riges cere,  
dum piæ & ultimæ JOANNIS volunta-  
ti est obsecuta. Claruit verò sanctior hic  
in casâ suâ Romulus circa annum Chri-  
stianum CD. LXVII. nunquam orbi tam  
notus futurus, nisi tam ignotus fuisset.  
Ex Surio.

*Præferenda est Religio necessitudini,  
& pietas propinquitati. Ea enim est vera  
pietas quæ præponit divina humanis, per-  
petua temporalibus: nesciunt suis parcere,  
qui nihil suum nōrunt; quoniam Sanctis  
omnia Deus est. S. Ambr. in Epist. ad  
Rom.*

S. BONITUS EPISC. 15. Ian.

BONITI virtus detecta jam tum di-  
vinitus est, cum matris adhuc utero  
lateret. Etenim cum hæc gravida à Sa-  
cerdote postularet, benè ut sibi precari  
vellet, *Quin, ille retulit, bene potius tu  
mihî precaris Domine? Amplius ad hæc  
obstupescenti, Ne, ait, hoc à te exigere  
me crede, sed ab eo, quem utero foves,  
quem ad insulam jam nunc vocari video.*  
Cæterum BONITUS adultior factus, cum  
maxima quæque munia in Gallorum  
Regiâ obiret, ita Regis causam egit, ut  
cuius dignitati pauperum patrocinium

C 5 præ-